

DE
PERVERSA HUMANAE FELICITATIS NOTIONE

PRAECIPVA DECORI A CYNICIS NEGLECTI RATIONE

DISSERIT

VIROSQUE

OMNIVM ORDINVM AC DIGNITATVM

QVI

FRANCISCANEONOSTRO

BONISQUE LITTERIS PATROCINANTVR

AD BENEVOLE AVDIENDOS

ALIQVOT OPTVMAE SPEI ADOLESCENTES

CRAS HORA NONA MATVTINA

LOCO CONSVETO PVBLICE DICTVROS

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS

CON - RECTOR.

MISENAE

EX OFFICINA LOEWIANA

Coll. diss. A
20, 44

a. XX. 44





ANtisthenem, nec non omnes, qui ejus ex schola prodire, vitæ hujus elegantiam sprevisse (a) nullamque decori habuisse rationem et depravati Cynicorum mores et ipsa etiam eorum dogmata satis superque testantur. Non est, quod ea in re (b) ad obtrectationes illas provocemus, quibus Diogenis in primis atque Hyparchiæ memoriam inquinaverunt Sophistæ, quorum ineptias sæpenumero perstrinxerunt Cynici: testem locupletissimum præter Plutarchum, Lucianum, Ælianum, Svidam et reliquos habemus (c) Laertium, qui, cum eorum fusius exponit vitas, Diogenem fuisse (d) ἀνεπιτηρεπταῖνα commemorat. Id quod Philosophus ille Crates ob immodestiam suam διγενανόικτης, ut Plutarchus (e) vult, dictus, ipse est confessus, quando inter-

(a) Cicero hinc de officiis L. I, CXLI. Cynicorum ratio, inquit, tota est ejicienda: est enim inimica verecundiæ sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum.

(b) Vid. Quint. Declam. 283. Heumannus celebrat in Act. Phil. Vol. II. p. 58. plurima, quæ de Diogene ejusque dolio proferunt Juvenalis in Sat. XIV. ver. 308. et Lucianus in describ. Hist. T. I. p. m. 659. vel ex plebis petulantia vel ex Sophistarum obtrectationibus deducit. Urget potissimum Epicteti aliorumque silentium, qui, cum multa de Cynicorum institutis dixerunt, nullam tamen harum rerum faciunt mentionem.

(c) Libr. VI.

(d) v. Kuhnium ad h. l.

(e) in Sym pos. L. II. p. m. 633.



interroganti Alexandro, patriam num restitui vellet (f) ἔχειν δὲ, in-
 quit, πατρίδα τὴν ἀδοξίαν καὶ τὴν πενίαν δ' αὖ ἀνάλωτον τῇ τύχῃ.

Nunquam proinde defuerunt, qui decori tam proterve a Cy-
 nicis neglecti rationes curatius inquirere allaborarunt. Sunt, qui
 ex nimio horum hominum, (g) fastu ac arrogantia rei hujus origi-
 nes petendas esse arbitrantur: alii alias in partes digressi, modo ad
 perversos Græciæ (h) luxuriantis mores, modo ad alia provocant.
 Ast, si verum est, quod nemo dubitat, in dijudicandis veterum
 Philosophorum moribus ad eorum potissimum doctrinas esse respi-
 ciendum: ex dogmatum Cynicorum (i) nexu ac cohærentia facile
 colligi poterit, perversam illam, quam sibi de felicitate humana
 formarunt notionem, principium quasi ac fontem fuisse, ex quo
 elegantioris vitæ neglectus effluxerit.

Philosophi potissimum esse, ut de iis cogitet rationibus, qui-
 bus ad veram vitæ hujus felicitatem perveniat, jam suo tempore
 cognoverunt Cynici interque eos Crates (k) a Plutarcho inter sa-
 pientissimos inde relatus. Posthabita inde omni rerum inanium
):(2 spe-

(f) Laert. VI. seq. 93.

(g) Id qui faciunt ab Antisthene ac quibusdam aliis ad omnes argumentari videntur.
 Nec facile ea sibi veterum testimonia conciliare poterunt, in quibus quorundam Cy-
 nicorum eximie virtutes et odium κενοδοξίας collaudantur. Id saltem certum est,
 si, quæ Lucianus de Demonacte Cynico refert T. I. p. m. 856. vera sunt, non omnes
 Cynicos arrogantiae posse inculari.

(h) Respiciunt in primis ad Cyrenaicorum principia, quibus tum cuivis fere ad luxu-
 riam aperiatur via. Vnum Aristippum hujus rei exemplum hic profero, cui se
 Cynici maxime objiciebant vid. Lucian. in Dial. Fora p. m. 229. Eam in rem Ci-
 cero Lib. III. de natura Deor. afotos, inquit, ex Aristippi schola prodire.

(i) Constat quidem teste Laertio L. VI. 103. 105. fuisse, qui Cynicismum non sectam,
 sed ἐνσάτην βίαν καὶ σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν appellare maluerint, ita ut ex
 doctrinarum nexu certi nihil effici posse atque constitui videatur v. Suid. in κινεσμός.
 Ast cum Antistheni potissimum multa præceptoris sui Socratis adriserint dogmata,
 nec quæ de contemptu philosophiæ naturalis affert Laert. L. c. seq. 103. ad doctrinam
 morum accommodari queant: jure in dijudicandis horum philosophorum moribus
 ad eorum dogmata esse respiciendum arbitramur.

(k) v. Plutarch. Tom. II. de animi tranquillitate it. Hollan. Hist. Var. L. III. c. 6.

IV

speculatione, quibus iusto nimis alii indulgebant, eam inuit philosophandi cum suis rationem, quæ hunc ad finem duceret. Id quod tamen nunquam fieri posse statuebant, nisi se omni earum rerum exsoluerent nexu, quibus in republica præsertim tenerentur homines. Videlicet tum demum summum felicitatis humanæ fastigium se ascendisse credebant, cum sibi sufficerent solis, (l) nec iis indigerent rebus, quibus vitæ miseriam plerumque sublevare conantur. Aliorum e nutu, moribus ac institutis pendere iisque teneri quasi ac duci, quæ majorum invexit consuetudo, non mediocri imbecillitatis humanæ documentum arbitrabantur. Quibus rebus, ut se magis magisque liberarent, nihil unquam intermiserunt Cynici.

Ne vero sibi deesset, unde hanc felicitatis suæ notionem ducerent ac confirmarent (m) ad summam summi numinis felicitatem provocabant, quod cum ex nemine nisi semet ipso pendeat, sibi que omni ex parte sufficiat, felix ac faustum sit habendum. Quod, si itaque ad veram salutem, quam omnes suapte natura quærant pertingere eque miseria sua emergere velint: in id nervos intendant necesse sit, ut perfectissimum hoc exemplar secuti, ea in re Deo se reddant similiores iisque supersedere rebus affvescant, quibus miseriam suam produnt. (n) In hunc finem opes suas in mare projecisse fertur Crates, (o) baculo suo ac pallio contentus,

(l) Antisthenis eam fuisse sententiam testatur Laertius l. c. quem ἀνταίρετον τε εἶναι τὸν σοφὸν docuisse refert.

(m) v. Suid. in κυνισμός et Lucian. in Dial. c.

(n) Ea in re supponere videntur Cynici, quæ neutiquam probare possunt. Etenim non ea felicitatis æque ac libertatis in Deo est conditio, ut ex summa, quæ est sapientia nullo modo pendeat, quippe quæ nunquam non summa Deo lex est summæque libertatis fons atque ratio. Nec cum perfectissimum Numen imitari student mortales, imbecillitatis suæ atque humanæ naturæ debent oblivisci; quod, quamdiu sunt homines limitibusque circumscripti, non possunt non multis etiam ex rebus pendere.

(o) Quod ex Apol. Tyaneo affert Suidas et Plutarch. de vitando ære alieno p. m. 831.

tus, (p) nec sibi soli sufficere ratus, qui ex tot rerum usu dependeret, quas ut sunt caducae ac fragiles vel minimus fortunæ destrueret casus.

Quæ argumentatione inducti nihil sane magis felicitati suæ obstare credebant hi philosophi, quam statuum ordinumque in republica discrimen nec non civiles leges, quibus ad innumera fere politioris urbanitatis officia in civitate quacunqve obstringuntur mortales. Id, quod eo perduxit hos ab omni comitate alienissimos, ut extra societatem vivere mallent, ne cives civibus ea deberent, quæ ex dignitate, quæ sunt in republica superiores, sibi exsolvent, Diogenem inde ita argumentatum esse testatur Laertius, quod respublica ordinaretur legibus, earum usum plane esse nullum sine republica, nec quempiam ad earum observantiam esse obligatum, qui civitate exiverit, sibiqve soli viveret. (q) Quæ cum ita sunt, intelligi facile poterit, quodnam pretium ritibus ac institutis statuerint Cynici, quæ hominum ingenium in civitatem induxit, et quæ ritualis decori nomine eruditi complectuntur. Etenim quid mirum sprevisse hos philosophos, quæ ex eorum mente vera cum felicitate constare non poterant. Tantum inde abfuit, ut Hyparchia (r) mulierum philosophantium longe celeberrima se ad sæculi sui mores componeret, ut potius, quod (s) teste Nepote contra Græcorum erat consuetudinem, convivii publice interesset, cumque marito denudatis incederet pedibus. Et quid de Diogene dicam, inter Cynicos facile princeps. Quæ, quæso morositate aulæ ministros inque his Aristippum (t) perstrinxit, quem ob nimiam in Reges reverentiam canem regium vocabat perludibrium? Quæ il- liberali et agresti prorsus ratione excepit Alexandrum Crates, (u) quem Græcia omnis tum suspiciebat, cum Thebas per Chero-

(p) iv. Salmast. in Tertul. de pallio p. 386. seq. (q) Laert. VI. 72. (r) v. Menagii Hist. mulierum philosophantium ad calcem Diog. Laertii. (s) v. Cornel. Nep. præf. it. Bailii Lex S. Hyparchia. (t) Laert. L. II. seq. 66. (u) v. Ælian. Hist. Var. L. III. c. VI. v. et L. XIII. c. VII.

nense bellum dirutas ejus causa restituere vellet? Quæ de Menippo acerrimo, ut eum vocat Lucianus, (x) Cynico veteres memoriæ prodidere adeo sunt trita, ut ea afferre hic nostrum non sit.

Verum enim vero, ne Cynicorum illa, quam tantopere aspirabant, immunitas nimis circum scripta videatur, non solum omnem civilis vitæ cultum, sed eam etiam decori partem habebant despicatui, quam et ipsa natura et prudentiæ leges svadent ac urgent. Quo quidem nomine asserere non dubitavit Diogenes (y) omnia quæ virtutem inter ac vitia essent posita, neque honestatem ullam neque turpitudinem intrinsecus habere. Quæ sententia sua fretus eo usque illiberalitatis atque immodestiæ progrediebatur, ut neque id publice peragere, ad quod naturæ nos cogit necessitas, vitio sibi verteret, neque ullam unquam ordinis sui, ætatis, sexus, ac temporis habuerit rationem, neque criminum evitaret suspicionem, neque tandem id sibi faciendum duceret, quo aliorum in nos benevolentiam derivare solemus. Sic cum omnia sibi impune licere credebant Cynici aliis feliciores eam assecutos se esse credebant immunitatem, quam in Deo demirabantur. Ecquis vero est, qui non intelligat effrenatæ licentiæ magis (z) quam felicitati, ea cum perperam disputabant, esse patrocinos. Equidem inficiandum non est, quod multas consuetudines ac mores depravatos sæculo respública debeat, quibus, ut ut sunt virtuti adversi, homines tanquam vinculis teneantur: nihilominus tamen tantum abest, ut Cynicorum illam, quam barbaram dicunt, independentiam ratam habeamus ac veram, ut potius eos solum vere felices habeamus, qui ex interna earum etiam actionum honestate, quæ sensu percipiuntur pende-

(x) in Dial. Fora p. m. 236. v. Voss. de Sectis Philosoph.

(y) Quam sententiam post Cynicos suam fecisse Zeno videtur, quod Cicero vult in Epist. ad famil. l. IX. Epist. 22.

(z) In confutanda Cynicorum illiberalitate nemo sane proficiet nisi perversam hanc, quam de felicitate sibi effingebant, notionem e medio sustulerit et amori, quem omnibus debemus, et humanitatis officiis et ipsi etiam naturæ humanæ perfectioni admodum contrariam.

pendere sese putant. Nec est quod cum Diogene nihil inesse urbanitatis officiis credamus, ex quo eorum necessitas possit induci eamque ob causam decorum omne virtutem inter ac vitia ponamus. Sicuti enim nulla hominum actio tam levis tamque parvi est momenti, quæ naturæ legibus comparata non aliquas rationes præbeat conspiciendas, ex quibus suscipienda ne, an omittenda sit omnibus nimirum circumstantiis rite expensis, (aa) pateat: ita sane eo magis de iis actionibus, quæ in sensus cadunt, nec non ad decorum referuntur, illud poterit evinci, quo luculentius ex ipsa naturalis decori indole aliisque ex principiis potest comprabari, ad id rite exequendum hominum quemque esse obligatum.

Quæ cum ita sunt collaudandos omnino putamus, qui politiciori urbanitati vitæque hujus elegantia studentes aliorum sibi conciliant animos eaque ratione sibi suæque felicitati optime consulunt. Vindicant hanc ad se potissimum laudem juvenes optumæ spei inque patriæ emolumentum nati, qui privata institutioni meæ commissi jam publice, me quidem duce prodibunt. Exponet autem et præsciente et hoc consilium gratulante Greenio mihi conjunctissimo

(aa) Id quod bene monet Bailius in Diæ. S. G. Hyp. ces gens-la, inquit, ne Savoient pas qu'il y a plusieurs actions, qui ne sont bonnes qu'en certaines circonstances de sorte que l'omission de ces circonstances peut rendre mauvaise une action, qui sans cela eût été bonne.

IOANNES

IOANNES SEBASTIANVS DE ZEHMEN Eqves
Misen. perversas veterum de felicitate humana sententias car-
mine vernacula lingua conscripto.

FRIDERICVS AVGVSTVS BVRGERVS Misenen-
sis græce arctissimum virtutis atque decori commonstrabit
nexum atque carmine vernacula lingua conscripto ultimum
scholæ huic vale erit acclamaturus.

CHRISTIANVS GOTTHOLD BVRGERVS Mi-
senensis politiori urbanitati Christianorum sacra non esse con-
traria exponet, prorsâ oratione latina fratri simul abiturien-
ti fausta quævis apprecaturus.

IOANNES FRIDERICVS STELTZNERVS Græ-
beriensis de reipublicæ felicitate dicet, in qua ingenuæ flo-
rent artes, carmine latino heroico.

Quos omnes auditum, ut frequentes veniant cras hora nona ma-
rutina, Viros omnium ordinum ac dignitatum ea, qua par est
observantia rogo. Dabam e Franciscaneo Misenenſi

d. 24. Maji A. O. R. M. CCXLIII.



IOANNES

Coll. diss. A. 20, misc. 44